Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8207
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



de omnibus. Tu es deus magnus cuius magni
tudinis non est finis et ideo video te in men
surabilem omnium mensuram sicut infinitum
omnium finem. Es igitur domine quia infinitus
sine principio et fine es principium sine prin
cipio et finis sine fine. Es principium sine
fine et finis sine principio et ita principium
quod finis. Et ita finis quod principium et neque
principium neque finis. Sed supra principium et
finem ipsa absoluta infinitas semper bene.

Video domine ex infinitate mi. Dicta
sericordie tue te infinitatem omnia
ambientem. Non est igitur extra te quidquam
omnia autem in te non sunt aliud a te. Do
ces me domine quomodo alteritas que in te
non est etiam in se non est nec in se potest
nec facit alteritas que in te non est unam
creaturam esse alteram ab alia quamvis una
sit alia celum enim non est terra licet verum
sit celum esse celum et terram terram. Si igitur
quesiero alteritatem que neque in te neque
extra te est ubi reperiam et si non est quomodo
terra est alia creatura quam celum. Nam
sine alteritate non potest hoc concipi sed lo
queris in me domine et dicis alteritatis non
esse positivum principium et ita non est. Nam